S. Nae tu parum recordaris Alfeni foeneratoris, qui etiam bona nomi
na, non appellando mala fieri dicebat. Annus iam integer
exiit, ex quo Thesaurum Latinae linguae, à me petitum, accepi.
Misit Jo. Hervarty ~~Nisi~~ Herbardus etiam Graecum tuum Thesaurum, et veteres
Graecos oratores. Quos etsi non desideraram: ultro tamen oblatos
repudiare nolui. Etsi autem interea ter aut quater nisi
fallor à te petii, ut quid tibi pro his libris deberem, et cui solvi
velles significares: tamen nihil adhuc responsi abs te tuli, sive
literulae meae interciderint, sive inter amplissima negocia tua
in oblivionem venerint, aut aliud de tribus capellis agi
existimaveris. Ego vero, ὡς μικροψυχότερος ὤν, non mi
nus invitus debeo, quam deberi mihi, in magna hominum
perfidia, moleste fero: neque me, dum debeo, liberum
esse iudico. Itaque gratum mihi facies, si vel Herbardo
vel mihi significaris, quantum solvi tibi velis.

1. Pro Thesauro Latinae linguae Lugdunensi.
2. Pro tuo Thesauro Graeco Latino.
3. Pro oratoribus Graecis abs te impressis.

Florinos nostrates habes à me decem. Quod praeterea debu
ero, Graeca fide statim solvam cui iusseris.
Nihil abs te his nundinis editum esse, mirati sumus non si
ne molestia frustrationis. Expectabamus enim praecla
ra quaedam, officina tua celeberrima digna. Sed fortasse
temporibus impeditus, proximis nos exhilarabis. Quod et
commodo et tuo et Reipublicae literariae fiat, Deum precor.
Vale vir clarissime, mihique tuo merito charissime. Augustae
Vindelicorum: 10 Novemb: 1576.

Hiero. Wolfius
Civis.

D. Henrico Stephano,
typographorum
coryphaeo, amico s.

Geneuæ.

Hier. Wolfius.